

UTRINEK IZ SLOVENSKE KNJIŽEVNOSTI

Fran LEVSTIK | MARTIN KRPAN

Franciscus

LEVSTIK | DE MARTINO KRPAÑO

Prevedel Matej HRIBERŠEK

Pars prima

*Quomodo Martinus Krpanus Ioanni, imperatori Austriaco,
admirationem moverit*

Narrabat aliquando mihi Moccilarius de temporibus antiquis, quomodo homines vixissent quemadmodumque iis dissensiones quaedam de variis rebus fuissent. Erat quondam die dominica post meridiem, cum sub umbra tiliae sedens haec mihi fabulabatur.

Est in terra interior vicus, qui Vrh nuncupatur; quo in viculo temporibus antiquis Krpanus, vir robustus viribusque multum valens, vivebat. Tantus erat, cui postea non multi compararentur. Laborem neglegebat, sed equula sua clitellaria salem Britannicum a mari transportabat, quod iam tum lege graviter severeque vetitum erat. Quamquam exsecutorum ministri, si fortuito in laqueos incideret, ei insidiabantur, tamen ipsam corporibus dimicationem cum eo vitabant, nam eis magnum timorem sicut postero tempore Robustissimus iniciebat. Krpanus autem semper ab insidiis caverbat atque curam adhibebat, ne ab illis comprehenderetur.

Hiems erat omniaque nive obruta erant, solum semita in nive patefacta a vico ad vicum ferebat; non enim tales viae erant, quales his temporibus exstant, quippe nostra aetate omnia aliter se habent, nam – Deo gratias – via ad unum quemque hortum holitorium fert. Krpanus equula sua per angustam semitam in nive patefactam ducentas vel trecentas libras salis transportabat, cum repente currus pulcher cum sono tinnienti appropinquat; quo in curru Ioannes, imperator Austriacus, sedebat, qui iter Tergeste faciebat. Krpanus quippe ex gente rustica oriundus imperatorem non novit; cum tempus cunctandi non sit nec sit data occasio caput adaperiendi, comprehendit confessim equulam una cum onere eamque transfert atque in margine viae ponit, ne curru contundatur. Num putatis eum hac re in suo negotio detineri? Minime vero. Facile factu; res pluma levior.

Cum imperator hoc videt, imperat aurigae, ut currum quadriiugum sistat. Hoc facto virum ingentem interroget: »Quis es?«

»Krpanus«, ait ille, »nominor, habito autem in viculo apud ecclesiam Sanctae Trinitatis sito, qui Vrh vocatur, atque spatio duarum horarum ab hoc loco abest.«

Deinde imperator: »Age, quod onus tibi est?«

Krpanus autem sine mora »Hem«, ait, »domine, fungis silliceis atque aliquot cotibus equulam oneravi.«

Caesar haec miratus interroget: »Si cotes sint, qua de causa in saccis sint?«

Krpanus non diu animo volutat, sed statim, sicut vir, qui scit, quid dicat, respondit: »Timeo, ne cotes frigore findantur: itaque eos stramento involvi et in saccum condidi.«

Vir ingens imperatori placuisse videtur, itaque imperator »Scire videbis, quomodo haec res exerceatur. Sed quonam modo equulam istam tam facile transtulisti? Quamquam carnosa non est, attamen ossibus haeret.

Krpanus parvum cachinnum tollit atque »Scio«, ait, »equos tuos plus carnis habere, sed equulam meam pro omnibus quattuor, qui isto currui iniuncti sunt, non substituo. Quod autem ad equulam transferendam pertinet, duas tales equas ferens iter duarum horarum vel diutius, si oporteat, facere audeo.

Caesar rem memoratu recordationeque dignam esse putat atque iter pergi iubet.